

Unicum ♂ individuum die 21. Aprili mense anno 1878 apud urbem Novorossijsk a me lectum est nunc in honorem professoris illustrissimi Ernesti Ballionis, quo magistro in re entomologica usus, maximas ei gratias debeo, nominavi *Phyllobium Ballionis*.

3. *Rhynchites parellinus* Gyll. var. nova **fallax** mihi.

Coeruleus aut viridis, nitidus. Corpore toto supra raris longisque infra densis brevioribusque pilis nigris oblecto. Habitu communi *Rhynchiti parellino* similis, distat autem crassiore et brevioro rostro, cujus longitudo minor, quam capitis thorace addito. Long., rostro excepto, 4—5 mm, lat. ad humeros 2—3 mm.

Haec varietas mensibus Aprili et Majo annis 1874—78 apud Novorossijsk urbem a me collecta est.

Tres novae varietates Carabitarum in Caucaso occidentali

reperatae ab Alexandro Starck in Utsch-Dere ab eoque descriptae.

1. *Cechenus Boeberi* Ad. var. nova **Heydenianus** mihi.

Habitu generali *Cecheno Boeberi* vero similis; supra niger aut nigro-viridis, elytrorum thoracisque margine viridi, tenuibus punctis in elytris tribus seriebus regularibus impressis; femora, apicibus exceptis, coxae trochanteresque rufa, antennarum articuli primi, tres sequentes medii et apices ultimorum articulorum palporum eodem colore gaudent. Long. 17 mm.

Nonnulla exemplaria hujus varietatis mense Julio 1888 anni a me in monte Dsitaku, Caucasi occidentalis, in altitudine prope novem millia pedum sunt reperta.

Varietatem hanc illustrissimo viro L. de Heyden dedico.

Unum exemplarium museo caesareo Viennensi tradidi.

2. *Neoplectes Riedeli* Mén. var. nova **convallium** mihi.

Iam anno 1879 ac insequentibus in convallibus Utsch-Dere nonnulla splendida exemplaria *Plectis* cujusdam cepi, quae ab illustr. de Heyden ut *cupreus* Chaud. determinata sunt (vide Wiener Entom. Ztg. IV, 1885, pag. 189). Iam illustrissimus ille Heyden haec exemplaria colore esse diverso notavit, quam illa a Chaudoir descripta. Postea illustris Custos-adjunctus musei caesar. Viennensis dom. Gangl-

bauer nonnullis exemplaribus attente convisis ac perscrutatis *cupreum* Chaud. nihil aliud esse nisi *Riedeli* Mén. invenit, et descriptionem accuratam hujus speciei suo operi „Revision der kaukasischen *Plectes*- oder *Tribax*-Arten“, inseruit (vide Deutsch. Ent. Zeitschr. 1886, pag. 313). Postea multa individua hujus speciei collegi in regione alpestri montium Caucasi occidentalis, quibus comparatis cum in convallibus collectis mihi persuasi haec ab illis colore ac habitu generali distare. Exemplaria montana proxime ad descriptionem *Ménétries* et *Chaudoir* accedunt, quam ob rem veram *Plectis Riedeli* formam montanam judicandam video, nam ipse *Ménétries Plectem* hunc prope ad nivalem regionem reperit.

Neoplectes Riedeli Mén. (montanus): *supra cupreus, elytris brevi-ovatis, leniter ad posticum dilatatis, dense et fortissime punctatis*. Habitat in altis solum montibus.

Neoplectes Riedeli Mén. var. *convallium* mihi: *supra viridis aut viridi-aureus, elytris oblongo-ovatis, ut latitudo maxima sescuplam facit latitudinem humerorum, leniter striatis, lenius et rarius punctatis. Magnitudine quoque haec varietas veram speciem antecedit*. Habitat in convallibus Caucasi occidentalis usque ad ipsum Ponti Euxini litus descendentibus.

Nonnulla exemplaria museo caesar. Viennensi tradidi.

Notatu dignum esse mihi videtur regione media inter oram maritimam ac altissimos montes neutram formam nec *Riedeli* neve *convallium* reperiri posse. Hoc quidem differentiam speciei ac varietatis augeri arbitror.

3. *Neoplectes obtusus* Ganglb. var. nova *Adelaidae* mihi.

Habitu generali verae formae speciei similis, ut ab illustrissimo domino Ganglbauer descripta est in „Deutsch. Ent. Zeitschr.“ 1886, pag. 319, sed *supra viridis aeneo-micans*, thorace lenius punctato et ad margines leniter rugoso. Long. 26 mm (exempl. formae speciei verae assequitur 32 mm longit.).

Unus ♂ hujus varietatis a me captus est Junio mense anno 1887 in regione silvestri prope 5000 pedum alta saltus Atschischecho Caucasi occidentalis eumque in honorem uxoris meae, quae assiduum ac continuum auxilium mihi in operis entomologicis praebet, nominavi.

Hoc unicum individuum museo caesar. Viennensi misi.

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Wiener Entomologische Zeitung](#)

Jahr/Year: 1889

Band/Volume: [8](#)

Autor(en)/Author(s): Starck Alexandro (=Alexander) Eduard von

Artikel/Article: [Tres novae varietates Carabitarum in Caucaso occidentali. 55-56](#)